

aliquae moniales iis in rebus jam versatae et exercitatae, ob id cum neque abbatissa nec aliae moniales quae sunt in monasterio regulam unquam viderint, nedum legerint, aliunde tres moniales ejusdem ordinis advocari mandavimus, quarum una decanissae, et aliae duae aliis juxta Rmi Ordinarii et abbatissae, cui subjectae erunt dispositionem, officiis et muneribus fungantur. Quia etiam illud curandum est, ut per susceptionem puellarum honestarum et bonae indolis, quae habitum induere velint, numerus monialium augeatur, mandamus, ut duae puellae, quae Monachio advenient, ut isthic habitu indutae, Deo inserviant, recipiantur, et cum aliis instituantur juxta necessitatem et exigentiam monasterii.

Illud quoque ad monasterii reformationem multum futurum videtur, ut confessarius aliquis cum collega sacerdote ejusdem ordinis ex aliquo monasterio hic saltem ad biennium habeatur, cujus studio et opera reformatio juxta ordinis institutum bene procedat.

Ut autem praesentes ordinationes nostrae observentur et melius haerent memoriae mandamus, ut semel in mense in refectorio vel capitulo germanice translatae legantur.

In quorum fidem ac robur, hic sigillo nostro, quo in talibus utimur munitis propria manu subscripsimus. Datum Passaviae Anno ab incarnatione Dominica MDLXXXI. die vero penultima mensis Augusti et renovatae anno MDLXXXIII die vero undecima mensis Julii. Pontificatus praelibati Smi Dni Papae Gregorii XIII. Anno duodecimo.

De Smae. Trinitatis Mystério.

Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

(Conclusio. Vide fasc. I. 1900, pg. 35—43.)

m) Sicut autem ex aeternis Sapientiae splendoribus oritur in Deo infinitum amoris incendium, per quod producit Spiritus Sanctus, unionis affectivae inter Patrem et Filium nexus beatissimus; atque ipse Spiritus, qui lux et charitas est, lumen sapientiae simul et charitatis ignem diffundit in animabus quibus illabitur; ita in ordine visibilium omnis focus lucis radios emittens, calorem simul diffundit, et per hoc sol iste visibilis, cujus calore animalium vita fovetur atque plantarum, assimilatur quodammodo Spiritui S., qui sua ad animas nostras communicatione, divini amoris, qui nostra vita et beatitudo est,¹⁾ facit nos esse participes; vel etiam

¹⁾ Nihil in nobis charitate vel divino amore pretiosius aut sublimius, quia nihil dignitate filii Dei quae charitate continetur, excellentius: si enim per gratiam sanctificantem filii Dei constituimur, per charitatem ut filii Dei operamur; beati-

Christo Domino, qui dixit ejusdem divini amoris ignem se venisse mittere in terram, quem tunc vehementer accendit quum sedens jam ad dexteram Majestatis in excelsis, quem in terris agens promiserat spiritum suum tamquam Ecclesiae caput membris com-

tudo autem seu perfecta vita in operatione consistit. Rursus nihil in nobis charitate utilius aut delectabilius, cum per eam summo bono jungamur eoque fruamur. Porro vel ipsa visio beatifica, si a charitate separabilis esset, nihil sine charitate prodesset; dum contra sola charitate agimus et vivimus ut digni filii Dei. Nec dignior est haec filiatio in videntibus quam in credentibus, cum utrisque detur Spiritus Sanctus, in quem desiderant Angeli prospicere: et ideo per visionem caritas non specie nobilior, sed indefectibilis redditur et intensior. Rursus charitas, non visio, formaliter facit sanctos vel Deo acceptos: sanctitas autem finis est existentiae nostrae, et ideo summum bonum nostrum; supremum enim creaturae finis est glorificatio Creatoris, Creatorem autem rationalis creatura glorificat per sanctitatem, non per scientiam; non per ejus cognitionem, sed per ejus amorem. Vtique in scientia creaturae, sicut et in quavis creata perfectione, gloria Creatoris ostenditur; sed duplicem Dei glorificationem distinguas oportet: alia attenditur secundum relationem creaturae ad Deum tamquam ad causam sui; alia vero secundum relationem creaturae ad Deum tamquam ad objectum operationis suae: priori glorificationis modo Deus ipse se glorificat per opera sua; altero autem creatura Deum glorificat debitum ei cultum exhibendo, quod fit per amorem. Jam vero primus glorificationis modus ordinatur ad secundum, quia cum Deus, utpote a se existens et a se beatus, creaturis non utatur aut fruatur, et finem vel objectum operationis suae extra se habere non possit, gloriam suam creatione non ostendit nisi propter creaturam rationalem cui ostensio fit; eique donum intelligentiae non ideo largitus est ut ipsa, prout malus peccavit angelus, in propria sibi complacere excellentia, sed ut per sacrificium laudis honorificet Eum a quo emanat omne datum optimum et omne donum perfectum, quia universa propter semetipsum operatus est Dominus, propter quod dixit: — gloriam meam alteri non dabo. — Non est ergo amor Dei propter visionem ejus, sed visio propter amorem: non quod visio beatifica excludatur a ratione ultimi finis; sed quatenus inter ea quae ad finem pertinent, comparatione facta, amor evadit potior visione, quippe in quo situm est bonum honestum et sacrificium laudis per quod Deus a creatura honoratur, et propter quod proinde fecit Deus quaecumque fecit, et ad quod consequenter debet omnis actus creaturae ordinari. Inordinatum sane esset in desiderio sistere videndi Deum propter delectationem ex visione consequentem, praescindendo positive seu per exclusionem ab ordinatione visionis ad amorem; quia sic creatura supremum finem suum non in gloria Dei, sed in proprio commodo collocaret: si autem ab eadem ordinatione praescindatur negative seu per simplicem omissionem, non quidem inordinatum erit desiderium videndi Deum, cum visio Dei pertineat ad ultimum finem; sed utique erit minus perfectum, quia non ex amore benevolentiae in Deum, sed ex amore sui nascitur; et ideo non meretur visionem Dei, quia Deus non se dat creaturae ut serviat ei tamquam fini suo, sed ut eam ad se trahat tamquam ad finem ipsius. Meretur autem visionem Dei amor filialis vel benevolentiae in Deum, quoniam est amoris exigentia ut filius videat faciem patris, et amicus faciem amici; nec alia sane de causa quam ut amore ipso plenius perfectiusque fruatur, quoniam amor purus non postulat pro amante nisi amorem aut amoris incentivum: unde visio beatifica non est praemium amoris viatorum quatenus amor natura sua ad visionem ordinetur, sed quatenus per visionem perfectio ejusdem amoris consummatur, et possessione objecti amati, in quod amor natura sua tendit, expletur voluntatis desiderium. — Nec putes ideo dumtaxat visione potiore esse amorem, quia per eum glorificatur Deus; nam amor etiam, et non aliud, rationalis est creaturae bonum. Sed dices forte: — nonne bonum creaturae rationalis est veritas? veritas autem possidetur per actum

municavit. — Est autem considerandum in charitate quod ipsa non modo perfectio est quatenus est affectio amantis; sed est etiam vinculum perfectionis, quia perfectam omnino facit societatem eorum qui per eam uniuntur, et praecipue quia nos summo bono conjungit, in cujus per amorem fruitione beatitudo nostra consistit. Haec autem inde habet charitas nostra quod sit participatio charitatis divinae in qua beatissime vivunt in societate perfecta Pater, Filius et Spiritus Sanctus, et per quam ipse Spiritus procedit aeternaliter a Patre et Filio. Atque ita fit ut in eodem spiritu in quo se invicem diligunt Pater et Filius, nos diligamus Deum tamquam patrem, et diligamus invicem amore fraternitatis; quoniam misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem: Abba, Pater. Verumtamen etsi secundum charitatis naturam divina est societas nostra ad Deum sicut societas divinarum Personarum inter se; sed ex parte Dei non est ejusdem conditionis secundum reciprocitatem amoris, quoniam amor Dei non respicit creaturam tamquam objectum, sed tamquam effectum; et ideo non est eadem secundum amorem habitudo unius Personae divinae ad aliam atque habitudo Dei ad creaturam. Porro Personae divinae contemplantes bonitatem vel excellentiam suam,

intellectus, non ergo per amorem. — Ad hoc respondeo quod veritas possidetur per actum intellectus tamquam vera; tamquam bona autem, per amorem voluntatis: et ideo veritatis possessio facit miseros et beatos. Beati sunt qui veritatem cognitam per amorem amplectuntur tamquam bonam: unde recte beatitudo dicitur gaudium de veritate; gaudium enim proprietas est amoris vel effectus formalis ejus; ex amore namque veritatis nascitur in animo desiderium eam possidendi, et consequenter delectatur animus in amore ejusdem jam possessae; nec aliud sane est de veritate gaudere nisi in ejusdem per amorem amplexu delectari. Unde beatitudo consistit formaliter in gaudio et in amore: in amore, ex parte boni honesti, et quia per eum creatura adhaeret summo bono, a quo derivatur omne bonum ejus: in gaudio autem, ex parte boni delectabilis. Et etiam ex hac parte beatitudo in amore sita esse dici potest, quatenus ex amore animus, et per amorem, et in amore delectatur: nam ex amore est desiderium, cujus expletio delectationem parit; et per amorem amplexus boni efficitur, quo desiderium expletur; et in amore denique omni ex parte delectationis causa invenitur, quippe in quo rectus ordo servatur, et moralis pulchritudo resplendet, honore et obsequio exhibitis cui debentur, et inclinationi naturae plene satisfit, quae necessario est ad bonum amplectendum. Veritas, inquam, per amorem facit beatos, sed absque amore facit miseros: nihil sane horribilius quam veritatem aversari, sicut nihil pulchrius et delectabilius quam eam per amorem amplecti. Ideo daemones credunt et contremiscunt; contremiscunt videlicet evidentiā veritatis, quam voluntate summopere aversantur: beati autem naturaliter essent scientia sua, (abstrahendo a supernaturali fine creationis eorum) si veritatem amarent. Non igitur in scientia consistit formaliter beatitudo, sed in amore. Vtique scientia ad beatitudinem pertinet causaliter, quoniam amor sequitur cognitionem; sed eo ipso non est beatitudo formaliter. Nec valet urgere in contrarium quod visio Dei necessario beatificat sanctos, secus atque cognitio Dei per fidem, ex qua amor sequitur contingenter: nam hoc non probat nisi differentiam secundum modum causalitatis; et sic stat quod asserimus, nempe, visionem Dei ad beatitudinem pertinere causaliter, non formaliter.

in ea sibi complacent; et ex hoc amore complacentiae nascitur amor benevolentiae quo se invicem diligunt tamquam supposita distincta: hic autem est charitatis affectus, qui non amantem ipsum, sed aliam personam respicit. Jam vero bonitas vel excellentia divinitatis praesupponitur cognitioni et amori Dei; et ideo respectu ejusdem cognitionis et amoris habet rationem objecti: creaturae autem bonitas e converso, quia existencia ejus effectus est amoris quo Deus sibi complacet in bonitate sua. Creatura ergo nihil habet proprium quo Deum ad se trahat; quia Deus secum tantum agens et vivens, bonitatem suam creaturae productione diffundit, quin ad creaturam se convertat. Vnde cum amorem complacentiae erga suam tantum bonitatem habeat, de qua creaturam participare facit; amor benevolentiae suus erga creaturam non supponit aliquam creaturae excellentiam, sed absolutam et omnimodam indigentiam, imo et nihilum ipsius: et ideo inter Personas divinas, cum amor benevolentiae excellentiam Personae amatae non causet, sed supponat, productus ejusdem amoris non est nisi amor spiratus; quoniam ipsae, utpote singulae infinite perfectae, non possunt dare sibi invicem nisi amorem: e contrario autem id quod datur ex Dei amore benevolentiae in creaturam, non est amor spiratus ob creaturae excellentiam, cum creaturae perfectiones non sint objectum sed effectus amoris Dei; sed est aliqua participatio divinae bonitatis qua creatura ipsa quidquam sit quod a se non est, cum a se non habeat perfectionem ullam. Igitur inter Personas divinas amor charitatis seu benevolentiae est actio quae Personam amatam respicit tamquam objectum infinito amore dignum, et ideo Dei amor substantialis spiratus nexus amoris est: amor autem Dei erga creaturam relatio causalitatis est, id est, relatio causae ad effectum, non potentiae seu virtutis ad objectum; creatura autem unitur Deo affective per charitatem quae est accidens ejus, non per Spiritum S., id est, per ipsam personam Spiritus Sancti, qui charitatis est causa in hac unione, non unionis ejusdem nexus, nec datur creaturae nisi secundum, quod se creaturae communicat dum operatur sanctificationem ejus, non secus atque Pater et Filius. Insuper in divinitate non solum una Persona diligit aliam propter infinitam excellentiam quam contemplatur in ea, sed etiam propter affectum charitatis ejus erga se, qui ad redamandum provocat. Si enim pulchra sunt quae visa placent, necesse est ut unaquaeque Persona in duplici divinitatis pulchritudine delectetur, physica nempe atque morali, et proinde alias Personas in quibus pulchritudinem utramque contemplatur, duplici ex causa complectatur charitatis affectu, quia videlicet infinito amore dignae sunt propter suam excellentiam, et infinito pariter amore diligitur ab eis. Quam quidem duplicem pulchritudinem creatura participat; sed utraque, ut supra osten-

sum est, non est divinae contemplationis et complacentiae objectum, sed divinae voluntatis effectus. Nihilominus tamen rationalis creatura, sive in coelesti patria sive in mystica contemplatione hujus vitae, eodem modo sentit amorem Dei in se ac si Deus afficeretur ab amore erga se creaturae, vel ambo amantes ejusdem conditionis essent; quia vere nos Deus paterno complectitur affectu in dilecto Filio suo, prouti Dominus Jesus significavit nobis dum dixit discipulis suis: (Joan. XVI, 26, 27) „In illo die“ (id est, accepto jam Spiritu S. cujus virtute clamamus ad Deum: Abba, Pater) „in nomine meo petetis: et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.“ Etsi vero ut filii Dei divini erga se amoris dulcedinem sentirent, non erat necesse ut ejusdem Deus cum illis conditionis fieret; sed ejusdem vi amoris ita factum est, quoniam eo ipso quod Deus summa erga nos bonitate sua voluit nos assumere in filios, infinitam nostram ab eo distantiam non est passus; quoniam amor inter patrem et filios secum fert familiaritatem, familiaritas autem postulat similitudinem amantium et quandam aequalitatem; et cum nos non possimus ad divinitatis celsitudinem ascendere, ad nostram benignissimus Deus descendit humilitatem, humanam assumens naturam, ut possit ad animam dilectam se convertere et dicere illi: (Cant. II, 14) „Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora“;¹⁾ et sic eadem sit habitudo, quoad

¹⁾ En duplicem pulchritudinem quam a Deo participat anima sponsa Christi, decorem nempe in facie, seu divinae gratiae splendorem et virtutum ornamentum; dulcedinem autem in voce, quasi canorem nempe suavissimum harmonicumque concentum in affectibus amoris in Deum. Et utriusque etiam pulchritudinis quandam similitudinem possuit Deus in ordine sensibili; nam et pulchra revera oculis apparet rerum facies ex candore lucis et varietate colorum, et grate mulcet aures diversorum sonorum apta combinatio: quia quemadmodum in societate charitatis non modo in decora facie dilecti amans delectatur, sed in affectibus etiam cordis ejus; similiter in ordine sensibili divina voluntate factum est ut in visus atque auditus objecto percipiendo honestam anima humana sentiat voluptatem. Et quidem in objecto percipiendo, alioquin delectatio non esset effectus pulchritudinis, nam pulchra sunt quae visa placent, quae scilicet placent consequenter a cognitione sui; a cognitione, inquam, non praecise a visione stricte sumpta, alioquin pulchritudo non esset in sensatione auditus: item a cognitione intellectuali, non a sensibili tantum, etiam quoad pulchrum sensibile; quia pulchritudo, etiam sensibilis, formaliter sumpta, solius est intellectus objectum; et insuper quia delectatio cognitionem consequens pertinet ad voluntatem rationalem, (licet per accidens sensibilis etiam esse potest) nam delectatio sensibilis non sequitur e sensitiva cognitione, sed ex aliqua immutatione corporis animalis. Ad quorum intelligentiam considerandum est quod duobus modis valde diversis producitur in nobis delectatio per sensationem. Vno modo delectatio sequitur immediate e sensatione passiva, puta saporis, odoris, etc., vel, ut melius dicam, pertinet ad sensationem ipsam; et sic nequit delectatio esse pulchritudinis effectus, quia non sequitur e cognitione, sed est mera affectio animalis quae nulla cognitione praevia producitur; non enim dulcis sapor delectat quia cognoscitur, nam suavitas per

societatis familiaritatem, inter Patrem et Filium in divinis atque inter animam et Verbum incarnatum; quod per illud significatum esse videtur ipsius Domini Jesu ad discipulos suos dulcissimum

quam delectat, ad ipsam saporis passionem pertinet, quae cognitioni praesupponitur; neque enim prius cognoscitur sapor, et postea delectatio sentitur, sed saporis suavitas quae delectat, veluti quaedam est qualitas saporis in genere quae a determinato sapore non distinguitur, et ideo uno eodemque perceptionis actu saporis passio et suavitas ejus seu delectatio sentitur. Et idem proinde dicendum de omni sensatione passiva, id est, de omni delectatione sensationi passivae inhaerente; quia pulchrum est objectum cognitionis, et in tantum delectat in quantum cognoscitur. Alio modo producitur in nobis delectatio per sensationem quatenus e cognitione oritur pulchri sensibilis, ut in sensatione visus, in qua nulla est passio sensibilis, sed sola rei visibilis cognitio. In sensatione porro auditus est atque passio sensibilis, quoniam sonus passio est quae sentitur, non cognitio sensitiva; non enim est auditio, sed id quod auditur. Nihilominus hoc sonorum inter sensibiles passiones peculiare est quod eorum combinatio, sive in harmonico concentu, sive in canoris serie successiva, varietatem exhibet audienti simul cum unitate, et ideo pulchritudinem, quae, sicut quaevis alia pulchritudo, placet percipienti. Necessesse quidem est ut sonis singulis suavitas insit delectans audientem, alioquin enim auditio canoris vel concentus harmonici non est delectabilis: sola autem soni suavitas non constituit pulchrum, nec proinde delectat, tamquam pulchra, consequenter a cognitione sui, sed est passio sensibilis quae sicut suavitas saporis v. g. cum delectatione ipsa confunditur: pulchrum autem in objecto auditus in eo consistit quod diversae sensationes gratiae velut unum quid efformet et in hac unitate animo objiciantur in canore aut in concentu harmonico. Cujus quidem unitatis in varietate perceptio ad intellectum pertinet, cujus est relationes rerum cognoscere; quamvis sensitiva est perceptio sonorum et suavitatis eorum: sed cognoscit insuper intellectus ea quae sensitive percipiuntur; unde ex intellectuali contemplatione gratiae sensationis passivae seu suavitatis ejus simulque unitatis in varietate oritur in anima delectatio spiritualis, quae sensibilis etiam per accidens fieri potest, quatenus cum unius ejusdemque animae sint vita spiritualis et sensitiva, ex delectatione spirituali sequitur in animalitate commotio quaedam et humorum alteratio, quae causa est sensibilis voluptatis. Sic ergo in ordine sensibili distinguuntur vocis cujusque suavitas et pulchritudo unitatis in varietate sonorum, sicut in ordine spirituali suavitas cujusque affectus inter amantes et pulchritudo unius charitatis in varietate virtutum: propter quod Sponsus in Cantico dulcem appellat sponsae vocem, pulchras autem sponsae mammas vel ubera, quia in pectore sponsae omnes includuntur affectus diversarum virtutum, sive erga Deum sive erga proximos, qui de radice charitatis emergunt. Porro pulchritudo charitatis pulchritudo est ordinis moralis, cujus fundamentum et norma est ordo divinae sapientiae, quia relationes ordinis practici fundantur in relationibus ordinis speculativi, et proinde rectitudo actionum moralium in cognitione veritatis. Vnde sponsa: (Cant. II, 4) »Introduxit me« (dilectus meus) »in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem;« per quae significat affectus vehementiam ordinemque actionum, quia vino divini amoris inebriata, suae mentis, ut ita dicam, desinit esse, quatenus actus ejus, utpote in Deum transformatae, ordinantur ad normam divinae sapientiae. — Sicut ergo lumen sapientiae quo illustrantur animae sanctae, similitudinem habet ad divinam sapientiam quae ex ore Altissimi provdivit, itemque inter lucem sensibilem et spirituaalem quaedam existit analogia; ita pariter charitas animae sanctae similis est charitati Dei in affectus suavitate et in ordinis moralis pulchritudine, et utriusque invenitur quaedam imitatio in sensatione auditus: atque ita fit ut pulchra apparente rerum facie, et etiam ordine in vitalibus affectionibus, gloriae, Trinitatis beatissimae, quae physica atque morali constat pulchritudine, et in spirituali substantia imago, et in vita sensitiva sit vestigium.

eloquium: (Joan. XV, 9) „Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos“: tamquam si diceret. — Sicut Pater complacet sibi in me, ita ego in deliciis habeo esse cum filiis hominum. — Verumtamen ista non obstante amantium similitudine, multum differt conditio animae a conditione divini Sponsi sui, non modo quatenus hic, ut Deus est, habet, sicut Pater, vitam in semetipso, sed etiam quatenus ipsi ut homini, propter divinae personalitatis excellentiam, omnis honor debetur atque perfectio; dum contra anima puri hominis, sive ob naturae corruptae indignitatem et indigentiam, sive etiam ob divini Sponsi sui sublimem dignitatem et gloriam, ad dandum ei amoris osculum, etiam lumine fidei jam illustrata, per quam viscera charitatis et misericordiae ejus sunt sibi bene nota, nec valet nec audet accedere; quamvis amore ipsius inflammata, idem osculum ab eo recipere verecunde concupiscit, fiducialiter expectat et humiliter postulat dicens: (Cant. I, 1.) „Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.“ Et ita quidem fiat necesse est, quoniam in toto perfectionis christianae progressu oportet ut et divina gratia mentem illustret et moveat ad opus meritorium inchoandum, prosequendum et perficiendum, et ad gradum perfectionis superiorem ita homo per opera meritoria ascendat ut gradum ipsum non per eam tantum habeat gratiam cujus usu il um meritus est, sed per supervenientem gratiam excellentiorem, per quam rursus disponitur ad merita majora; tantum siquidem habemus supernaturalis perfectionis quantum de supernaturalibus donis a Deo accipimus. Congruum ego admodum est ut altum perfectionis gradum qui est osculum oris, et ardentibus desideriis humilibusque precibus ex una parte anima mereatur, et ex alia idem osculum Sponso ipsa non praebeat donec illud ab eo prius accipiat, quoniam necesse est ut in unoquoque perfectionis gradu actionem creaturae divina gratia praeveniat, cum vel ad actum fidei et agnitionem Sponsi hoc necessarium sit, eodem Sponso testante qui ait: (Joan. VI, 44) „Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.“ Vnde Sponsus non modo praevenit sponsae osculum eam ipse prius osculando; sed ut hanc ipsa mereatur praevenientem Sponsi gratiam, alia invitationis gratia eam praeparat et movet dicens: „Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora“: non solum enim delectatur Sponsus in facie et voce sponsae osculum oris jam assecutae, sed etiam in actibus fidei et amoris quibus ad osculum recipiendum se disponit; pulchra siquidem facie apparet sponsa dum sincerum Sponso exhibet obsequium fidei, et dulciter sonat Sponsi auribus gemitus cordis ejus ad osculum anhelantis: neque enim aliud esse posse videtur faciem Sponso ostendere quam ad eum in fide se con-

vertere, et divitias agnoscere misericordiae ejus; ille namque cujus oculis omnia nuda sunt et aperta, eatenus tantum dicitur aliquos non novisse quatenus eum ipsi non agnoscunt: quoad vocem autem, quomodo sponsa Sponso non placeat, sicut pullus hirundinis ad eum clamans, et gemens sicut columba divini osculi desiderio, cum talem clamorem et gemitum ab ipso sit elocta per donum Spiritus Sancti, dicente Apostolo: „Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater“; et: „Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus?“ 1) —

1) Anima Sponsi accepit osculum Verbi Dei absque praevio merito suo, quia osculatum est eam (intellige hoc solummodo quoad effectum) quum eam creavit et ad suam assumpsit personalitatem. Actiones namque hujus animae beatissimae, cum sint actiones ipsius Verbi, non debent respicere finem assequendum, sed oportet ut sint semper fruitio finis, quia Verbum est finis omnium entium.

De Beata Virgine pie credi potest, nam revelatum non est, praefati osculi gratiam in ea nunquam defuisse, quia similis Christo est agnoscenda, salva dumtaxat differentia inter simplicem creaturam et hominem Deum, talis quippe similitudo pertinet ad honorem Filii Dei qui de illa ut homo genitus est: si enim Praecursor Domini usum rationis habuit, antequam nasceretur, ad exultandum de corporali ejusdem Domini praesentia, quanto magis Mater Domini, quam Spiritus Sanctus singulari gratia protexit, non modo ut conciperet incorrupta, sed ut conciperetur immaculata, jam a principio existentiae suae eundem Dominum ex ea nasciturum et cognovit et purissimo dilexit amore? Purissimus equidem in ea semper fuit amor Dei, quia nihil unquam amavit nisi Deum aut propter Deum; quod absdubio satis est ad fruendum divino amoris osculo, cum etiam sufficiat in beatis ad videndum Deum, qui inaequales quidem sunt in amoris intensitate, sed in praefata puritate aequales. Primo igitur actu fidei et amoris, statim scilicet a conceptione sui, meruit B. Virgo osculum Verbi Dei et totius Smae. Trinitatis; nisi forte osculum accepit antecedenter ad meritum suum (quod minus probabile videtur, quia spectato ordine divinae providentiae et ipsa quoque natura rei, rationabilius est simplicem creaturam, qualis est B. Virgo, prius virtute divinae gratiae honorare Deum per fidem et amorem, et deinde sentire Deum per amorem adhaerentem sibi.) Sed quidquid de hoc sit, sicut oportuit animam Christi, ratione divinae personalitatis, ab initio existentiae suae frui visione Dei absque praevio merito suo; etiam decuit B. Virginem, ratione divinae maternitatis, in amore Dei confirmari antecedenter ad meritum suum: quidquid enim divinum est, non modo perfectum esse debet, sed a Deo quoque inseparabile. Igitur anima Christi ab initio fuit in fine simpliciter per visionem Dei; Beata autem Virgo fuit semper in fine secundum quid, per amoris nempe firmitatem vel indefectibilitatem. Vnde B. Virgo, vel in primo instanti existentiae suae, longe potioris conditionis fuit quam angeli: nam angeli potuerunt peccare, siquidem multi ex eis peccaverunt; at in B. Virgine peccatum fuit semper impossibile, nam si a culpa originali, quam naturaliter, spectata carnali generatione, contraxisset, propter reverentiam Filii sui fuit praeservata, multo magis Filii majestas longe arevit ab ea, tam singulari privilegio sine labe concepta, omnis defectionis possibilitatem; quia secundum culpae imputabilitatem in unoquoque subjecto plus dedecoris est in culpa personali, vel levissima, quam in originali, licet majoris. haec sit magnitudinis. Porro indifferens est pro gloria Dei hunc vel illum angelum in veritate stare aut gratia excidere, quatenus aliis peccantibus, super sunt alii qui divinas perfectiones aeternum laudabunt: at hoc asserere non licet de Matre Dei, cujus sanctitas pertinet ad honorem Filii; propter quod potius permitteret Deus ruinam omnium angelorum et hominum quam vel minimam maculam in Matre sua. — Qui videt me, ait Filius, videt et Patrem;

Haec omnia pulchre adaptantur S. Ecclesiae, cui Sponsus e sinu Patris descendens, ubi introivit in mundum, se manifestavit, dum Magos, gentilitatem ad fidem vocandam repraesentantes, per suam inspirationem interius et exterius per stellam fulgentem ad locum suae nativitatis perduxit, ubi eum agnoscentes et adorantes ac munera ei offerentes, dona coelestia ab eo vicissim acceperunt, pignora coelestium benedictionum quibus Ecclesia ditanda erat ac foecundanda, quam ipse quum ad perfectam pervenit aetatem, ex hominibus ab aeterno praelectis congregavit, et salutari verbo suo atque exemplo convenienter praeparatam, ad summum coelum unde venerat reversus, per Sancti Spiritus infusionem, dans ei amoris osculum, in sui similitudinem mirabiliter transformavit. Porro qui post Christi Domini Ascensionem erant in Coenaculo perseverantes unanimiter in oratione et Sponsi osculum expectantes et ambientes, omnes ejusdem Sponsi excellentiam et misericordiam bene noverant, quippe quos traxerat Pater ad Filium: omnes Jesum non Joannem Baptistam, aut Eliam, aut Jeremiam, aut unum ex prophetis esse putabant, sed Christum Filium Dei vivi: neque ex illis erant qui audientes Jesum loquentem de mysterio Corporis et Sanguinis sui in quo ipsius charitas erga nos mirifice resplendet, spiritualia carnaliter intelligentes scandalizati sunt et recesserunt ab eo: sed sicut Petrus de Jesu sentiebat, qui incredulis illis abeuntibus, dixit ad Jesum: „Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes.“ Ipsi ergo cum Sponso conversati et viscera charitatis ejus experti, in illis diebus Pentecostes clamabant omnes et singuli in corde suo: „Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.“ Vt autem sacrum Sponsi osculum acceperunt, jam non vivebant de suo, sed de spiritu ejus: unde Sponsus, qui prius a Sponsa osculum ejus requirente laudabatur, jam in ea sibi complacens et contempans imaginem sui, convertitur ad laudandum eam, et pulchritudinem ejus ac foecunditatem quasi admirans exclamat: „Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea

— quomodo autem non etiam Matrem? numquid poterat Pater permittere ut Filius qui ex eo prodiit splendor Paternae gloriae, e matre minus digna vel minus pura nasceretur? Si lex naturae est, ut genitum oriatur simile generanti, quomodo deesse poterat perfecta similitudo inter utrumque in generatione quae solius Dei opus fuit? Cujus tamen generationis hoc peculiare est, ut in dicta similitudine non Filius Matrem, sed Mater imitetur Filium, quoniam intuitu talis Filii facta est purissima ab eo ipso quem genuit. Necessae igitur est ut de B. Virgine, in quovis existentiae suae instanti, intelligatur illud Sponsae elogium: (Cant. IV., 7) »Tota pulchra es, amica mea«; et de illa quidem sola in sensu absoluto intelligi debet, quoniam illa sola simpliciter immaculata: (quamvis etiam sancta Ecclesia erit omnimode pulchra quum eam Sponsus Patri exhibebit in resurrectione justorum.) Vno verbo: oportebat ut qui in divinis e mente Patris prodiit lumen de lumine, prodiret in humanis de Virgine lucis aeternae candore.

sponsa! meliora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.“ Quia videlicet sancta Ecclesia, spiritu Christi Sponsi sui animata, charitatis ejus dulcedinem et fragrantissimum odorem verbi Dei praedicatione et operibus misericordiae ubique terrarum mirifice diffundit, unde Apostolus dicit: „Christi bonus odor sumus Deo“: et ipsa Sponsa hanc mirabilem spiritus Christi communicationem ad animas verbum Dei in corde bono et optimo suscipientes cum gaudio contemplant, dicit ad Sponsum: „Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulae dilexerunt te.“ Talia quidem sunt amoris colloquia inter Christum et Sponsam Ecclesiam: quoniam vero Sponsae pulchritudinem, adhuc in terra militantis, spiritualibus tantum oculis licet contemplari; in iis autem quae sensibus apparent, sicut Sponsus amore Sponsae eo usque sustinuit contumelias et passiones ut non esset ei species neque decor, propter quod dixit: „Beatus qui non fuerit scandalizatus in me; similiter Sponsa plus minus foedata exterius apparet persecutionibus et laboribus propter salutem animarum atque Sponsi gloriam a se tolerandis; ideo ipsa quoque scandalum pusillorum praeveniens, dicit ad illos: „Nigra sum, sed formosa... sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meae pugnaverunt contra me.“ De quo Dominus Jesus praemonuit discipulos suos dicens: „Si me persecuti sunt, et vos persequentur“: et: „Tradet frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient: et eritis odio omnibus propter nomen meum.“ Sed cum apparuerit Sponsus et Caput Ecclesiae, tunc et Sponsa apparebit cum ipso in gloria: modo enim vita Sponsae abscondita est cum Christo in Deo, latens enim Sponsa secundum spiritum in foraminibus petrae et in caverna maceriae, vulneribus nempe et latere Christi, habet ibi de quo vivat hauriens in gaudio de fontibus Salvatoris aquam salientem in vitam aeternam; et in protectione Dei coeli commoratur, per quam, dum peccatorum retributionem considerat, qui cadunt a latere suo mille et decem millia a dextris suis, liberatur ipsa a laqueis et incursibus daemoniorum, quae ad illum salutis portum, ubi habitat in adiutorio Altissimi, appropinquare non valent; et gemens ibi ut columba in exercitio patientiae, multo magis quam creatura materialis revelationem expectat filiorum Dei, in qua honore et gloria coronabuntur quicumque Christi passionibus communicarunt. Tunc omnis creatura visibilis faciem mutabit, (vidit enim B. Joannes coelum novum et terram novam, quae tunc apparebunt) et vestibus quasi induta festivas gloriam Sponsae celebrabit: multo autem magis ipsa Sponsa tota formosa consurget, et monilibus ornata pretiosissimis ibit obviam Christo, qui eam Patri exhibebit fructum et coronam meritorum suorum.

Tunc Christus erit omnia in omnibus Ecclesiae membris, et regnabit super omnes per charitatem seu in virtute Spiritus Sancti, in quo et nos regnabimus cum Christo. Tunc in eodem S. Spiritu vere vivemus et movebimur et erimus in illo statu beatitudinis aeternae, siquidem in Dei amore beati erimus. Ille namque vere vivit qui vita fruitur seu beate vivit per amorem Dei. Amor autem est causa omnium actionum, et vita principium motus: unde qui in Dei amore vivunt, moventur a spiritu Dei: ideo scriptum est: „Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filli Dei.“ Denique quia solus Deus est qui est, ille vere est qui Deo per amorem adhaeret: qui enim ab eo prava voluntate recedit, melius ei esset, ut Christus de Juda pronuntiavit, si natus non fuisset. Tunc igitur, cum omnia propter amorem sui fecerit Deus, et consequenter, si libertatis abusum in ente rationali excipias, necessario in Dei glorificationem omnis creatura conspiret, divini amoris in omni rationali creatura Creatori obsequente perfectione consummata et in aeternum firmata, omnia in suo fine ultimo constituentur; et creatura materialis, quae modo vanitati subjecta est non volens, liberata jam a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei, postquam servierit justitiae Dei pugnans cum eo contra insensatos qui Dei amorem contempserunt, donec potentia brachii Dei contriti, ponantur omnes scabellum pedum Christi, serviet in aeternum Dei munificentiae splendidissimae, quatenus pulchritudine magna qua ab Omnipotente decorabitur, beatorum animos ineffabiliter recreabit, et ad Dei amorem et laudem provocabit in perpetuum. Atque ita complebitur illud Apostoli dictum: „Ex ipso (Deo) et per ipsum et in ipsum sunt omnia“; quia cum omnia secundum creationem sint ex Patris potentia, et secundum ordinem et gubernationem per Filii sapientiam, debent omnia esse secundum finem in divinae bonitatis laudem et amorem in Spiritu S., in quo se mutuo diligunt Pater et Filius, siquidem in gloriam et laudem Dei facta sunt universa. Beati ergo vivent vitam amoris in Spiritu S. sicut Pater et Filius; cum hac tamen, ut alias dixi, differentia, quod inter Patrem et Filium ipsa persona Spiritus Sancti est amoris nexus, unionis autem amoris creaturae ad Deum persona Spiritus Sancti non est nexus, sed causa efficiens sicut Pater et Filius, quamvis Spiritui S. per appropriationem causalitas haec attribuitur, eo ipso quod per proprietatem est amoris nexus inter Patrem et Filium.

n) Nunc de divinarum Personarum proprietatibus loquamur; in quarum expositione naturam etiam processionis Spiritus Sancti et quasdam inter ipsam et processionem Filii differentias, prout nostrae mentis patiatur imbecillitas, declarabimus. — Nomine proprietatis in divinis Personis non est intelligenda aliqua perfectio, quia cum singulae Personae sint perfectus Deus, omnis

perfectio divinitatis debet Personis omnibus esse communis: unde dixit Filius: „Omnia quae habet Pater, mea sunt.“ Est autem proprietas Personae divinae attributum personale ita uni Personae conveniens sub ratione principii aut termini processionsis ut in nullo sensu possit de alia praedicari, eo ipso quod ad rationem termini pertinet aut principii; et quamvis fundatur in aliqua perfectione divina, sicut ipsa processio Personae, non tamen significat directe perfectionem ipsam, quae toti Trinitati communis est, sed est praedicatum quod principio processionsis competit aut termino, ut sic, secundum processionsis naturam. [Recole quae circa ordinem et numerum divinarum productionum ad intra, et circa divinarum Personarum similitudinem litt. c) et d) elucubravimus.] — Primae Personae proprium est esse patrem, quia cum intellectio unde generatur Filius, sit prima operatio naturae divinae, necessario principium generationis debet esse sola Persona prima, quae omni praesupponitur productioni. — Deinde praescindendo a speciali productione primae Personae propria, nempe generatione, et etiam a numero et ordine productionum intra Deum, ex eo quod Persona prima omni praesupponitur productioni, convenit ei tamquam proprium nomen principii; quod etiam proinde conveniret illi, si per impossibile non duae, sed plures essent Personae productae, aut Spiritus Sanctus non procederet immediate a Patre et Filio, sed a Patre per Filium; nam in omni casu prima Persona origo est omnis productus intra Deum. Et ideo, quamvis Filius est origo Spiritus Sancti sicut Pater, non tamen convenit illi nomen principii sine addito, quia principium sine addito est principium simpliciter vel absolute, id est, origo omnis productus. Principium igitur est nomen proprium Personae primae; et hujus ratione proprietatis attribuitur ipsi potentia per appropriationem. — Item ex eo quod persona Patris omni praeintelligitur productioni, sicut ipse Pater vocatur principium relate ad Personas productas, sic vocatur ingenuus secundum negationem respectus ad alium a quo procedat: unde ingenuus accipitur pro improductus, quoniam proprietas haec non consistit in negatione filiationis seu passivae generationis, quae Sancto etiam Spiritui non convenit, sed in negatione passivae productionis in genere. Ponitur autem ingenuus pro improductus per respectum ad paternitatem, a qua praecipue denominatur Persona prima; et facile quidem intelligitur Patrem ingenuum esse Personam ex alia non procedentem. Quod autem a paternitate praecipue sit denominanda Persona prima, inde evincitur quod Personarum proprietates dignoscuntur per processiones, quod autem magis speciale est ac determinatum in Persona prima quoad processiones, et per quod consequenter praecipue discernimus ab aliis Personam

ipsam, est generatio, seu processio Filii ab ea. Praeterquam quod nomen Pater reliquarum hujus Personae proprietatum nominibus aptius est ad designandum suppositum. — Denique ex ipsa, quam supra dedimus, definitione proprietatis eruitur differentia, quam notare oportet, inter proprietates Patris collective sumptas et proprietates aliarum Personarum. Nam Filii proprium est dumtaxat esse terminum generationis; et ideo omnes proprietates ejus debent illi convenire quatenus terminus est hujus specialis productionis, id est, omnes debent Patrem respicere, quia notio termini est correlativa notioni principii, seu, quod in idem recidit, quia proprietates ipsae praedicantur de Filio secundum quod hic procedit a Patre per intellectualem generationem: et idem dicendum de Spiritu S. secundum spirationem et relate ad spirationis principium. Patris autem una tantum est proprietas, scilicet, paternitas, secundum specialem productionem, nempe generationem; reliquae vero proprietates ejus referuntur ad productionem in genere, sive in sensu positivo quatenus a prima reliquae Personae procedunt, sive in sensu negativo quatenus ipsa non procedit ab alia. Itaque differentia de qua agimus, in eo consistit quod proprietates Filii vel Spiritus Sancti pertinent omnes ad rationem termini, et referuntur ad unum principium; proprietates autem Patris pertinent quidem omnes ad rationem principii, sed non referuntur omnes ad eundem terminum: nam proprietas pater respicit solum Filium; proprietas principium respicit processiones omnes in genere; proprietas autem ingenitus eatenus dumtaxat pertinet ad rationem principii quatenus excludit a Patre rationem termini. Si quaeras autem cur secundum generationem una sit proprietas in Patre, tres vero in Filio; ratio est, quia in principio quod (supposito) actionis attenditur actionis species, unde a generatione illud vocatur pater; in termino autem attenduntur plures actionis resultantiae, quas in termino quidem necesse est inveniri, non in principio.

o) De his ergo secundae Personae proprietatibus nunc pauca dicturi, (siquidem alibi fuse disseruimus de processione Filii) a generationis natura incipimus, quae illarum est fundamentum. Generatio in divinis est productio per intellectum; productio autem per intellectum est intellectionis expressio; intellectio autem exprimitur proferendo verbum: unde verbum prima est ex proprietatibus secundae Personae, quatenus ex illa reliquae secundum ordinem rationis deducuntur. Nam secunda Persona est etiam filius et imago Patris, et utraque proprietas illi convenit sub ratione verbi seu intellectualis productus: hoc enim verbum dicitur filius, quatenus est suppositum generatione productum; dicitur autem imago, quia ut intellectionis expressivum refert similitudinem objecti intellecti, Paternae nempe substantiae. Hae

igitur duae proprietates in proprietate verbum sunt implicitae: quia verbum, ut prolatum, est terminus productionis, id est, generationis; per respectum autem ad id quod per illud dicitur vel exprimitur, est imago Paternae substantiae. Nihilominus tamen neque notio verbi neque imaginis est per se notio suppositi; et ideo secunda Persona, quoad rationem suppositi, congruentius designatur nomine filii: et secundum hoc filius trium est proprietatum praecipua, quae generationis terminum significans in ratione suppositi, respicit directe principium quod (suppositum) generationis ejusdem. Proprietates autem verbum et imago respiciunt immediate, illa principium quo generationis, seu intellectum, cujus exercitio verbum profertur; haec vero Paternam substantiam, quae in generationis termino repraesentatur tamquam intellectus objectum.

p) Cum ad proprietatum Personae productae intelligentiam et intelligibilem expositionem naturam processionis ejusdem Personae cognoscere necesse sit; de modo autem quo Spiritus Sanctus procedit, deque diversitate inter hanc processionem et Filii nativitatem nondum sermonem fecerimus data opera; in praesenti paragrapho, de Spiritus Sancti proprietatibus tractaturi, haec omnia simul, Deo adjuvante, praestabimus. — Qualis Spiritus Sancti processio sit, ipsum innuit Spiritus Sancti nomen: spiritus enim tertia Persona appellatur, quia per spirationem procedit; et addendo sanctus appellatio completur, quoniam spiratio haec amoris est, de quo sanctitas praedicatur. Non ergo vocatur spiritus sanctus haec Persona ratione naturae et perfectionis suae, siquidem spiritalitas et sanctitas non sunt propriae tertiae Personae, sed Personis omnibus communes; sed ratione operationis qua producit: unde haec vocabula spiritus et sanctus accipienda sunt per modum unius, quatenus ex duobus nomen proprium tertiae Personae conflatur. Et in horum quidem vocabulorum significatione declaranda tota consistit hujus disputatio paragraphi, quoniam reliquae hujus Personae proprietates in ea jam enuntiata continentur implicite: nam sunt etiam nomina propria hujus Personae amor et donum; et amor quidem, in quo sanctitas consistit, est id quod spiratur, et per spirationem donatur. — Ad quorum intelligentiam duplicis generis amor distinguatur oportet in Deo, amor nempe complacentiae erga divinam bonitatem, et amor benevolentiae unius Personae in aliam: prior concipitur possibilis in Deo praecisione facta a trinitate Personarum; nam si per impossibile una tantum esset in divinitate Persona, absdubio amaret haec amore complacentiae suam bonitatem: alter vero amor non est possibilis, sublata pluralitate vel societate Personarum, quoniam amor benevolentiae vel charitatis necessario est ad alterum: uterque autem vere in Trinitate existit, et amor benevolentiae in

amore complacentiae fundatur; quoniam ex amore complacentiae erga divinam bonitatem, quam Filius in Patre, et Pater contemplatur in Filio, donant ipsi sibi invicem affectum cordis, seu amorem spirant in invicem, et sic Spiritum Sanctum producent. Neque caret Spiritus Sanctus benevolentiae seu charitatis affectu erga Patrem et Filium, sicut et Pater Filiusque erga Spiritum Sanctum: nequit autem amor divinus semel spiratus iterum spirari, cum una tantum sit divinitatis virtus spirativa, quae spiratione unica exercetur, ipsius nempe Spiritus Sancti processione. Itaque Spiritus Sanctus est amor, quoniam amor est quod spiratur: est autem et donum, quoniam amor ipse spiratione donatur, vel, si magis placet, amoris donatione spiratio efficitur. In hac porro donatione amoris, id est, in amore charitatis consistit Personarum societas beatissima, quae in solo amore complacentiae non habetur, sive sit objectum hujus amoris bonitas ipsius amantis, sive bonitas personae alterius; quia complacentia est dumtaxat affectio cujusque amantis, solus autem amor charitatis est vinculum perfectionis. Unde manifestum fit hos duos amores esse diversae speciei ob diversitatem motivi quo voluntas erga bonitatem, etiam numero eandem, afficitur. Nam in amore complacentiae sola invenitur delectabilis fruitio bonitatis quam amans contemplatur, seu quies delectabilis vel appetitus satisfactio in ejusdem bonitatis fruitione tamquam objecti contemplationis; in amoris autem spiratione invenitur amor quasi motus vel impulsus per affectivam spiritus, id est, amoris ipsius emissionem, quatenus ab amorem complacentiae quo Pater et Filius afficiuntur erga divinam bonitatem, quam unusquisque in altero contemplatur, infinita excellentia et charitas cujusque ita vehementer simul et suaviter trahit ad se voluntatem alterius ut qui unum sunt physice simplicitate divinae naturae, fiant beatissime unum moraliter affectu charitatis, juxta illud Domini Jesu in sua oratione ad Patrem pro nobis: (Joan. XVII, 11) „Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.“ Porro non postulavit Salvator noster ut nos fieremus unum imitando identitatem ejus cum Patre secundum naturam, sed participando spiritum eorum, nempe, charitatem, in qua unum sunt moraliter vel affective. Motivum ergo per quod amor benevolentiae specie distinguitur ab amore complacentiae, suppositorum distinctio est, quorum perfecta societas in affectus reciprocitate consistit, quo Personae divinae tamquam realiter distinctae se invicem honorant et laudant, et in mutuo amoris amplexu quo unusquisque se dat totum alteri, infinita suavitate delectantur. Est autem haec differentia inter Dei charitatem et nostram, quod in nobis charitas est affectio amantis infocunda etsi est vinculum perfectionis; in Deo autem haec erga alterum affectio et inclinatio, propter divinae essentiae

foecunditatem, erumpit in amoris personalis (Spiritus Sancti) productum. Vnde sicut nos in charitate donamus nobis invicem affectate amoris inter Patrem et Filium Spiritus Sanctus habet rationem doni, quoniam est charitatis amor spiratus; siquidem amoris donatione spiratio fit. Nec mireris quod Spiritum S. donum esse dicam relate ad Patrem et Filium, eo quod donum aliquod accipere proprium ejus sit qui non habet in se omne bonum; quod in Persona divina locum non habet: nam de essentia doni est quod aliquid detur, non quod ab alia persona accipiatur; quamvis utique de essentia societatis est ut amoris donatio ab amato acceptetur, et pari ipse amoris affectu vel donatione amantem honoret et amplectatur: et tantum abest ut de ratione doni sit translatio rei datae ab amante ad amatum, ut potius nihil quod sic transferatur, sit donum verum vel acceptance dignum, nisi donatio ex amore procedat, qui solus propter se, etsi manet in amante, donum est acceptabile. Porro si nos, quamvis nihil potest Deus accipere a nobis, nec aliquid nos habemus quod non accipiamus a Deo, vere tamen damus Deo amorem cordis nostri secundum libertatis exercitium; et hanc Deus donationem acceptat ac si de proprio, non de donis a Deo acceptis, oblatio nostra fieret, quoniam ad nostram attendit Deus bonam voluntatem, non ad absolutam nostram ab eo dependentiam, quatenus nos in Deo amando bonitatem suam spectamus, non indigentiam nostram; quare inter Personas divinas vera donatio non sit, eo quod utpote infinite perfectae et unius ejusdemque numero naturae, nihil ab invicem accipere, sed solum reciprocum amorem acceptare possint? Itaque Spiritum S. donum dico Patris et Filii ad invicem, non quasi ad instar rei transferibilis illum a Patre accipiat Filius et a Filio Pater; sed dumtaxat secundum donationem affectus charitatis, quoniam in hujus affectus donatione consistit spiratio illius. Equidem quoties Spiritus Sanctus dicitur donum Dei, non intelligitur donatio nisi relate ad creaturam: sed quomodo in hoc sensu nomen donum Spiritui S. conveniat, inferius explicabimus. — Ex his quae de Spiritus Sancti processione hucusque delibavimus, differentiae quae inter hanc processionem et Filii nativitatem intercedunt, haud difficile inferuntur. Et primo quidem notandum est quod producere per intellectum (verbum generare) non est intelligere; producere autem per voluntatem (amorem spirare) utique est amare. Cujus discriminis ratio est, quia intellectio est actio unitiva potentiae cum objecto, unione quidem perceptionis, non compositionis, quia intelligere est objectum intelligibile mentaliter apprehendere: generatio autem verbi est actio productiva tantum, non unitiva; neque est cognitio, sed cognitionis fructus. Voluntatis autem operatio, sive sit amor complacentiae erga bonitatem, sive amor benevolentiae vel spirationis

erga personam amatam, semper est unitiva; ita ut amor complacentiae sit unitivus tantum, voluntatis nempe cum objecto amabili, sicut de intellectione dictum est; amor autem benevolentiae in Deo etiam productivus: productivus quidem Spiritus Sancti, quem Pater et Filius se invicem amando spirant; unitivus vero eorumdem Patris et Filii, quibus ipse Spiritus est quasi vinculum charitatis. In actu igitur generationis unus terminus invenitur, ille nempe qui producit: in actu autem spirationis et terminus productus, qui est Spiritus Sanctus, et Persona amata ad quam tamquam ad amoris objectum spiratio dirigitur. Et valde quidem diversa est in actione productiva ratio productus et ratio objecti; et ex hac diversitate dignoscitur actionis productivae diversitas specifica. Nam alia productio est ad quam non requiritur nisi exercitium determinatae potentiae, ita ut sola vitae foecunditate, nullo alterius potentiae actu praeunte, productio fiat: et ita quidem oritur Verbum Dei, quod sola activitate divini intellectus sponte fluit e mente Patris consequenter ab intellectione divinae essentiae; propter quod productioni huic generationis nomen convenit, et vocatur a Scriptura „emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera.“ Ideo sane Verbum potest ab una tantum Persona procedere, quoniam processio haec non respicit aliam Personam tamquam actionis objectum, et ejusdem proinde non supponit existentiam; sed habet tantum pro termino actionis productum, quoniam est quasi naturalis et spontaneus defluxus virtutis Dei. Alia vero productio est, per voluntatem scilicet, ad quam non sufficit solius voluntatis exercitium: non quod amoris spiratio solius voluntatis non sit; sed quatenus ad amorem, sive complacentiae sive benevolentiae vel spirationis, praerequiritur actus intellectus, ita ut exercitium voluntatis secundum amorem complacentiae erga divinam bonitatem non sufficiat ut absque ullo motivo ab intellectu proposito et sola vitalitate potentiae volitivae oriatur naturaliter et quasi spontanee productus amoris, sicut fit in intellectu, in quo Verbum naturaliter generatur consequenter ab intellectione, sola sufficiente vitalitate intellectivae potentiae; sed necesse est ut pro unaquaque specie amoris, complacentiae nempe et benevolentiae, adsit speciale motivum ex parte intellectus et consequenter determinatio activa ex parte voluntatis; non motus mere naturalis, ut in lapide; neque instinctivus, ut in bellua; nec aliquo sensu passivus vel ex imperfecta cognitione proveniens, ut actus indeliberatus vel semideliberatus in rationali creatura. Et re quidem vera, omnes isti operandi modi secundum naturalem inclinationem vel propensionem, qui in creaturis inveniuntur, sunt Deo indigni, cujus voluntas nihil potest habere passivae determinationis ad aliquid, cum ipse ab alio ente non dependeat, sed omnino agit consequenter a cognitione intellectiva. Depen-

dentia autem voluntatis ab intellectu non est aliqua imperfectio in actibus voluntatis; sed contra, cum ad actus voluntarii naturam illa pertineat, tanto hic perfectior erit quanto major sit potentiae intellectivae in operatione interventus, dummodo actus voluntatis perficiatur ad normam intellectus veritatem perfecte possidentis. Itaque actus divinae voluntatis, sive complacentiae erga divinam bonitatem, sive spirationis vel charitatis in societate Personarum est omnino voluntarius, id est per determinationem activam voluntatis virtute perfectissimae cognitionis elicitus; alioquin amor suipsius non esset Deo ad laudem imputabilis, laudem enim, sicut et praemium, nemo meretur, nisi seipsum determinet ad agendum ex cognitione veritatis; quid autem magis absonum et absurdum quam Deum non esse moraliter laudabilem ob suum amorem sive complacentiae erga suam bonitatem, sive charitatis in societate Personarum? Inde clare infertur Spiritum S. non posse ab una tantum Persona procedere, quoniam spiratio per quam producit, ab una Persona ad aliam tamquam ad amoris objectum dirigitur, et ideo duarum Personarum supponit existentiam, quarum secunda amorem spirat versus primam sicut prima versus secundam, quoniam eadem pro utraque ratio existit, motivum nempe spirationis in unaquaque Persona, quae ob infinitam excellentiam et charitatem suam digna est toto amore alterius, ejusdemque ad se trahit voluntatem; et infinita rursus charitas ejusque in ratione principii spirationis cum integra virtute spirativa. Itaque non ob defectum virtutis spirativae quam manifestum est inesse Patri ob foecunditatem naturae divinae, non autem consequenter a generatione Filii; sed ob defectum motivi spirationis non potest Spiritus Sanctus ab una tantum Persona procedere. Et re quidem vera, si spiratio non haberet pro termino nisi solum actionis productum, sicut generatio, et non respiceret aliam Personam tamquam amoris objectum Spiritus Sanctus non esset amoris nexus inter Patrem et Filium, siquidem spiratio Filii non dirigeretur ad Patrem, nec spiratio Patris ad Filium, sed spiratio utriusque esset productio quasi spontanea vel mere naturalis sicut productio per intellectum: spiratio autem fit, ut tenet catholicus sensus, ex affectu charitatis Patris et Filii ad invicem, et ideo ex motivo ab intellectu proposito; omnis enim inclinatio voluntatis versus objectum omnis objectum aliquod praesupponit ejusdem objecti cognitionem: si autem spiratio fit consequenter a cognitione objecti ad quod ipsa dirigitur, manifestum est eam non esse productionem quasi spontaneam seu mere naturalem sicut generatio, sed procedere ex determinatione activa voluntatis. Nec tamen spiratio contingens est, sed necessaria; nam determinatio activa voluntatis non opponitur omni necessitati, sed ei dumtaxat quae fundatur in passiva determinatione naturae.

— Productio creaturae non habet objectum sicut productio Spiritus

Sancti, quoniam creatio nihil praesupponit existens extra Deum; et ideo Deus non spirat amorem ad extra, quoniam nihil extra Deum est quod voluntatem Dei ad se trahat, sed e contrario quidquid extra Deum existit, praesupponit amorem Dei tamquam causam sui, amorem utique quo Deus semetipsum amat, quoque proinde non se communicat creaturae nisi ut eam ad se trahat tamquam ad finem ipsius, ita ut creatio fiat quidem ad bonum vel beatitudinem creaturae, sed ordinetur, tamquam ad finem supremum, ad glorificationem Dei; quin et creatura aliter beata esse non potest quam Deum per amorem glorificando. Ideo Personae divinae „faciamus, inquit, hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae omnique reptili quod movetur in terra“: quia videlicet creaturae visibiles, quae propter hominem factae sunt, hominis operatione, qui intelligentia et amore quorum est capax, valet Deo gloriam dare, ad suum debent redire principium, quatenus homo ipsis utatur in gloriam Creatoris. Porro vox faciamus vox amoris est: nam trinitas Personarum fructus est divinae operationis ad intra; in creatura autem producenda tres Personae se habent tamquam unum principium sive secundum virtutem intellectivam, sive secundum virtutem executivam: unde societas Personarum, quae per vocem faciamus significatur, non est attendenda quoad productionem creaturae nisi secundum amorem mutuum in quo societas ipsa consistit, et propter quem unaquaeque Persona vult caeterarum glorificationem. Equidem per communicationem divinae bonitatis ad intra in productione Personarum satisfit exigentiae divinae perfectionis et beatitudinis, secus enim Deus creaturae existentia indigeret, seu ipse sibi non sufficeret, quod est absurdum: verumtamen, quemadmodum data existentia creaturae, etsi Deus non indiget amari ab ea, dignum tamen et justum est ut ametur et honoretur ab ipsa; similiter, quamvis beatitudo Smae. Trinitatis non pendet a glorificatione ejus extrinseca seu ab existentia creaturae, cum tamen conveniens sit creaturam existere ad gloriam et laudem Dei, postulat societas charitatis inter Personas divinas ut unaquaeque velit gloriam caeterarum non modo intrinsecam per voluntatem complacentiae, sed etiam extrinsecam per voluntatem efficacem vel executionis: quae quidem voluntas libera est, siquidem productio creaturae non est necessaria; verum hac libertate supposita, quae ad unam numero pertinet trium Personarum voluntatem, absdubio ex affectu charitatis vult unaquaeque Persona gloriam extrinsecam ceterarum per creaturae productionem; quia congruum valde est ut cum singulae Personae sint infinitae excellentiae, et proinde infinito amore dignae, quantum unaquaeque agere potest, agat ad caeteras glorificandas, id est, non solum donet illis affectum cordis in

gloria divinitatis intrinseca, sed suam quoque virtutem productivam adhibeat in glorificatione earum extrinseca: hinc omnes et singulae volunt creaturam producere ad Trinitatis gloriam manifestandam. Vnde habes quod creatio duplici ex causa fit propter gloriam Dei: nam si per impossibile una tantum esset in divinitate Persona, et creaturam ipsa producere vellet, etiam sic deberet, gloria Dei finis creationis esse, quia nequit Deus finem operationis suae extra se habere: sed existente divinarum societate Personarum, gloria Dei est creationis finis non modo secundum exigentiam divinae perfectionis, sed etiam ex motivo charitatis inter divinas Personas. — Creaturae autem rationalis existentia supposita, Spiritus Sanctus vocatur donum Dei relate ad eam; et modo declarandum est unde et quomodo talis denominatio ei conveniat. (Confer. quae de missione et donatione Personae divinae elucubravimus in dissert. de Immensitate Dei.) Donum est id quod alicui datur: datur autem vel amor, qui caeterarum donationum est causa; vel aliquid quod ab una persona ad aliam derivatur vel transfertur; vel persona ipsa, tamquam personae alterius addicta servitio aut obsequio, vel saltem tamquam objectum fruitionis ejus. Jam vero Spiritus Sanctus non datur tamquam amor nisi inter Patrem et Filium, quoniam amor divinus non spiratur versus creaturam, siquidem creaturam non praesupponit ut objectum amabile, sed contra causa est existentiae ejus. Neque datur Spiritus Sanctus tamquam aliquid a Deo ad creaturam translatum vel derivatum: quia cum sit perfectus Deus sicut Pater et Filius, nec potest aliter a creatura possideri nisi ut objectum cognitionis et amoris; nec Patris et Filii alicui est actioni obnoxius, sed simpliciter procedit ab eis ad intra, et una cum eis, et eadem quidem numero actione, omnis est creaturae principium. Neque dat se creaturae tamquam ejus obsequio addictus aut servitio, ut est manifestum; utique vero tamquam objectum fruitionis ejus, ut ipsa per amorem Creatori adhaerens gloriae illius serviat tamquam fini suo. Verum secundum donationem hujusmodi nihil peculiare dicendum est de Spiritu S., eo ipso quod secundum eam eodem modo dat se creaturae atque Pater et Filius, et de tribus proinde Personis est donatio ipsa indiscriminatim praedicanda. Porro nomen proprium, in sensu proprietatis personalis, alicui Personae divinae non convenit nisi sub ratione termini aut principii aeternae intra Deum processionis: nomen vero appropriatum, secundum respectum ad creaturam, non potest Personae divinae convenire nisi ratione alicujus effectus qui in creatura producitur; nam cum ex parte Dei eodem modo tres Personae se habeant ad creaturam, non nisi natura effectus qui in creatura producitur, potest fundare peculiarem alicujus Personae denominationem, ratione quoque habita

alicujus proprietatis ejusdem Personae. Et haec sane de causa solus Spiritus Sanctus apud Scripturam dicitur missus vel datus secundum animae sanctificationem. Missio Spiritus Sancti ad animam in sanctificatione animae est mera denominatio Personae divinae, uti ostendimus in dissertatione de Immensitate Dei: Scriptura autem eodem sensu dicit Spiritum S. mitti et dari (a Patre et Filio) in sanctificatione animae: ergo et donatio Spiritus Sancti secundum animae sanctificationem, sub conceptu missionis, seu quatenus datur a Patre et Filio, est mera denominatio Personae divinae: ergo et nomen Spiritus Sancti quod est donum, secundum respectum ad creaturam ad meram denominationem pertinet; eatenus quippe Spiritus Sanctus dicendus est donum Dei, quatenus in Scriptura dicitur dari vel mitti, a Patre nempe et Filio. Haec tamen Personae divinae denominatio in reali communicatione fundatur ejusdem Personae ad creaturam; et secundum hanc realem communicationem, id est, secundum quod Spiritus Sanctus se dat creaturae non secus ac Pater et Filius, donatio realis est. Rursus in hac reali communicatione distinguere oportet id quod a Deo derivatur ad creaturam, et actio Dei qua derivatio ipsa efficitur. Porro quod derivatur a Deo ad creaturam, non est persona Spiritus Sancti, sed gratia sanctificans; actio autem qua gratia sanctificans producitur in anima, est praefata Personae divinae communicatio ad animam, quae per eandem communicationem consecratur in templum Dei secundum gratiae productionem, et inhabitatur a Deo secundum quod Deus agit in eam. Igitur secundum quod per hanc Dei communicationem ad animam participat anima vitam Dei et inhabitatur a Deo tamquam templum ejus, omnes et singulae Personae divinae eodem prorsus modo et una numero actione dant seipsas animae: sed spectata natura effectus qui per eandem communicationem producitur in anima, qui est participatio spiritus Dei, per quam Deo charitate conjungimur, solus Spiritus Sanctus in eadem communicatione dicitur dari, eo quod secundum naturam aeternae processions suae sit spiritus (amor spiratus) Patris et Filii. Si ergo id quod Scriptura significat dum dicit Spiritum S. dari nobis, est communicatio divinitatis ad animam, per quam datur animae participatio vitae vel spiritus Dei; et haec communicatio cum suo effectu tribus ex aequo Personis tribui debet tamquam uni sanctificationis principio; manifestum est Spiritum S. non posse vocari donum, secundum respectum ad creaturam, nisi per appropriationem, quatenus non solus Spiritus Sanctus, sed tres Personae se dant creaturae. Deinde quatenus Spiritus Sanctus dici nequit donum Dei (Patris et Filii) nisi secundum suam aeternam originem (ex parte dantis), nihil reale significat denominatio ista praeter originem ipsam et communicationem

praefatam, et ideo mera denominatio est, sicuti de missione diximus Personae ejusdem. Et sane in rei veritate Spiritus Sanctus nec datur creaturae (a Patre et Filio) tamquam aliquid a Deo ad creaturam derivatum, nec tamquam amor spiratus, ut supra ostensum est. Ergo donum non est nomen proprium Spiritus Sancti, in sensu proprietatis personalis, secundum respectum ad creaturam; utique vero secundum amorem mutuum et spiratum Patris et Filii, quoniam amor spiratus est amor datus. Duplīciter nomen alicujus Personae divinae potest esse sive proprium sive appropriatum, ex causa nempe necessaria, et ex causa contingente. Sic v. g. verbum est nomen Filii proprium necessario, quia significat proprietatem personalem ejus: homo autem est nomen Filii proprium contingenter, quia fundatur in unione hypostatica. Similiter sapientia appropriatur Filio ex causa necessaria, ex natura videlicet aeternae processiois Filii: donum autem, secundum respectum Spiritus Sancti ad creaturam appropriatur Spiritui S. ex causa contingente, videlicet, ex sanctificatione creaturae. Profecto non posset Spiritus Sanctus dici donum Dei, si non daretur, quia non est donum nisi id quod actu datur: propter quod solus amor benevolentiae est donum natura sua, quia nequit esse talis amor quin sit amor datus; caetera autem dona non sunt vera dona nisi virtute amoris ejusdem, et ideo non sunt dona nisi dum actuali donatione amor exercetur; quidquid enim non est per se, sed per aliud, non est id quod est, nisi per influxum illius a quo habet esse; hic autem influxus, ad rem nostram quod attinet, non existit si donatio non fit, nam in eo praecise consistit ut virtute amoris donatio fiat. Amor respicit aut bonitatem quam praesupponit, tamquam objectum, aut bonitatem quam non praesupponit, tamquam effectum: unde Deus non amat nisi semetipsum et creaturas existentes, nequaquam vero creaturas mere possibles; quia creatura non est objectum amoris Dei, sed effectus, et ideo in tantum Deus creaturam amat in quantum dat ei esse et dona ipsum esse perficientia. Porro inter cognitionem et amorem haec, ad rem quod attinet, est differentia, quod cognitio rerum praescindit ab earum existentia, dummodo actus intellectualis terminetur ad realem entitatem in qua res ipsae contineantur; et ideo qualiter Deus creaturas cognoscit facta creatione ita cognosceret omnino si non creasset, et eodem modo ipsae repraesentarentur in Verbo, quoniam veritas rerum non est aliquid contingens aut mutabile sicut creationis effectus: amor autem non sic, quoniam est inclinatio voluntatis ad realem bonitatem aut amplectendam si affectui amantis praesupponitur, aut secus producendam vel communicandam. Unde respectus Verbi ad creaturas est necessarius, quia Verbum procedit per intellectum; non respectus Spiritus Sancti, qui procedit

per amorem; quique proinde nequit denominari per nomen donum, secundum respectum ad creaturam, nisi ex actuali donatione seu ex effectu contingente.

Eidem Deo et Domino nostro, Patri, Filio, Spiritui
Sancto, honor sit et gloria in saecula sem-
piterna. Ipsius tantum amori
mancipentur corda nostra.
Amen.

Beiträge zur Geschichte der Kunst und der Kunstbestrebungen der Cistercienser in den Rheinlanden

von der Stiftung des Ordens bis zur Aufhebung.

Von H. Höfer in Köln-Ehrenfeld.

Schluss.

(Vide H. I. 1900, S. 43—53.)

V. Himmerode, Cistercienserabtei in der Eifel.

1. **Der Himmeroder- oder Bernhardshof in Trier.** Auf Wunsch des Erzbischofs Albero von Trier schickt der hl. Bernhard 1134 neun Cistercienser aus Clairvaux nach Trier, um daselbst eine Niederlassung des Ordens zu begründen. Albero schenkt den Brüdern die Kapelle des hl. Sulpitius mit einem daran gelegenen Hause und Garten gegenüber der Liebfrauenkirche. Hier blieben sie bis zum Jahre 1135, wo ihnen Erzbischof Albero eine Niederlassung am Winterbach im Kyllthale anwies. Die Mönche folgten auch hier der Tendenz des Ordens, sich da anzusiedeln, wo sie vom Geräusch der Welt am weitesten entfernt waren. Die Sulpitiuskapelle wurde im Jahre 1175 unter Erzbischof Arnold neu gebaut und auf den Namen des hl. Bernhard geweiht. Der Bernhardshof verblieb der Abtei als Refugium und Absteigequartier bis zur Säcularisation. Vergl. Marx, Erzstift Trier III. S. 513. 521.

2. **Niederlassung am Winterbach.** Da den von Clairvaux gekommenen Brüdern die Niederlassung in Trier nicht zusagte, so wies ihnen Erzbischof Albero von Trier im Jahre 1135 eine Niederlassung am Winterbach im Kyllthale bei Cordel und Ehrang an, nachdem er ein Oratorium und Zellen für sie dort hatte erbauen lassen. Das Kirchlein hatte der Erzbischof Albero zu Ehren des hl. Erzengel Michael eingeweiht. Nach dreijährigem Aufenthalt erhielten sie vom Erzbischof die Erlaubnis, sich eine andere geeignetere Niederlassung zu suchen. Marx, wie vor III. S. 513. 521.